

## ET MOX DE PRIMA LOCVPLETANDI RATIONE

Posteaquam de verborum copia quae veniebant in mentem, qua potuimus breuitate diximus, reliquum est vt simili compendio de rerum copia perstringamus. Atque vt hanc operis partem exordiamur ab iis quae superiori generi sunt quam maxime finitima, prima locupletandae sententiae ratio videtur, si quod summatim ac generatim dici poterat, id latius explicetur atque in parteis diducatur. Quod quidem perinde est, ac si quis primum mercem per transennam aut per istromata conuoluta ostendat, deinde eandem euoluat aperiaturque, ac totam oculis exponat. Huius rationis id erit exemplum:

REM VNIVERSAM LVXV PERDIDIT.

Eam sententiam in summa comprehensam quasique conuolutam hunc ad modum licebit euolueret, si plurimas possessionum formas enumeremus, sique varias perdendae rei vias explicaueremus: 'Quicquid vel matris vel patris nomine haereditate obuenierat, quicquid aliorum affinium morte aduenerat, quicquid ex vxoris dote, quae quidem neutiquam erat vulgaris, accesserat, quicquid ex legatis accreuerat (accreuerat autem permultum), quicquid ex principis acceperat liberalitate, quicquid peculii castrensis conflauerat, pecuniam omnem, vasa, vestes, fundos, agros, vna cum ipsis et villis et pecoribus, breuiter rem omnem, seu mobilem seu soli, denique familiam etiam ipsam, foedissimis scortorum amoribus, quotidianis comessationibus, sumptuosis obsonationibus, nocturnis perpetuationibus, popinis, cupediis, vnguentis, alea, lusibus, paucis diebus ita absumpsit, abliguriuit, absorbuit, vt ne teruntium quidem sibi reliquum fecerit'. Hic duo illa verba 'rem vniuersam' et 'luxu perdidit' suis partibus explificantur.

Adiiciemus et alterum:

CYCLOPAEDIAM ABSOLVIT.

In genere dictum est. Id ita poteris explicare, si singulas disciplinas, omnem doctrinae speciem singillatim recenseas: 'Nullum

<sup>35</sup> omnino doctrinae genus est, in quo non sit exquisite versatus; nulla disciplina, quam ille non ad vnguem perdidicerit. Et ita perdidicerit, vt in vna qualibet sola laborasse videatur. Adeo mi-

re poetarum omnium omnes fabulas tenet; adeo rhetorum flosculis abundat; adeo grammaticorum laboriosos canones excussit;

<sup>40</sup> dialecticorum argutias callet; physices arcana peruestigavit; vlt  
ramundanae sapientiae ardua superauit; theologorum abdita pe-

netrauit; mathematicas apodixes perceptas habet; sic astrorum motus, sic numerorum rationes, sic terrarum dimensiones, vr-

<sup>45</sup> bium, montium, fluminum, fontium, situs, nomina, interualla, sic vocum concentus atque discrimina callet; adeo quicquid est his-

toriarum, tum veterum, tum recentium, meminit; quicquid bonorum autorum, quicquid vel antiquitatis, vel nouitatis, id omne

<sup>50</sup> tenet. Adde his parem Graecanicae ac Latinae literaturaे linguaеque peritiam. Denique, quicquid vñquam eruditioнis ab e-

gregiis autoribus repertum ac traditum fuit, id vniuersum vnu

hic absolute perceptum cognitumque habet ac meminit'. Item:

'Omnibus naturae fortunaeque dotibus praeditus'. Hoc si cui li-

beat explicare, commemorabit singula corporis commoda, deinde singulas ingenii atque animi dotes, postremo genus, opes, pa-

<sup>55</sup> triam, successus, et quicquid a fortuna solet obuenire. Rursum tertium exemplum erit: 'Hippias omniscius'. Hoc si quis velit di-

latare, referat licebit omnia illa quae in eius viri descriptione re-

censem Apuleius in Floridis, non sine varia verborum copia. Extat

huius rationis exemplum aptissimum apud Lucianum in Harmo-

nide. Etenim cum potuisset summatim diligere: τὴν αὐλητικὴν

<sup>61</sup> ὅλην ἐκμεμάθηκα, maluit explicatis partibus copiam ostentare

ad hunc modum:

65     Ἐδιδάξω μὲν ἡδη ἀρμόσασθαι τὸν αὐλὸν ἐς τὸ ἀκριβέσ, καὶ ἐμπνεῖν  
       ἐς τὴν γλωσσίδα λεπτόν τι καὶ ἐμμελέσ, καὶ ὑποβάλλειν τοὺς δακ-  
       τύλους εὐαφῶς ὑπὸ πυκνῆ τῇ ἄρσει καὶ θέσει, καὶ βαίνειν ἐν ρυθμῷ  
       καὶ σύμφωνα εἶναι τὰ μέλη πρὸς τὸν χορόν, καὶ τῆς ἀρμονίας ἐκά-  
       στης διαφυλάττειν τὸ ἴδιον, τῆς Φρυγίου τὸ ἔνθεον, τῆς Λυδίου τὸ  
       Βακχικόν, τῆς Δωρίου τὸ σεμνόν, τῆς Ἰωνικῆς τὸ γλαφυρόν· ταῦτα  
       μέν οὖν πάντα ἔκμεμάθηκα παρὰ σοῦ.

70     Quae tametsi vix possunt reddi Latine, tamen ob Graecanici ser-  
      monis ignaros vertam vt potero: ‘Docuisti me iam exacte adapta-  
      re tibiam, atque in eius lingulam inspirare tenue quiddam ac modulatum, tum commodo facilique contactu submittere digitos in  
      75     crebra sublatione ac demissione vocis, ad haec ad numerum ingredi, et vt modi congruant ad chorūm, praeterea quod cuique harmoniae generi proprium est obseruare, Phrygiae diuinum im-  
      petum, Lydiae Bacchicum furorem, Doricae grauitatem ac modestiam, Ionicae iucunditatem’. Quodsi in proximo exemplo pla-  
      80     cuisset in singulis disciplinis facere quod hic Lucianus fecit in  
      vna musicae parte, vides quanta sermonis copia fuerit futura. In his non ab re crediderim illud admonere, simul et in initio propo-  
      ni summam rerum, et eandem alia sermonis specie repeti, et ita  
      85     redeundum ad genus, quasi singulis enumerandis iam sis defatigatus, etiam si nihil erit praeteritum. Praeterea cauendum, ne  
      partium ordinem confundamus tumultuaria verborum congerie,  
      sursum ac deorsum miscentes omnia, ne molestam vocum tur-  
      bam nulla conditam gratia conglomeremus, sed vel ordine scito,  
      vel apta distributione, vel eleganti descriptione, legentis aut au-  
      dientis taedium excludamus. Ad hanc formam pertinet et illud,  
      90     quoties totum quod non formis sed partibus constat, in eas didic-  
      tur. Vt ‘Hic totus monstrum est’ hoc pacto dilatabitur, si prius  
      hominem in corpus atque animum partiari.

deinde singulas corporis partes, singulas item animi partes attin-  
 95 gas: ‘Et animo et corpore monstrum est. Quacunque vel animi  
 vel corporis parte contempleris, monstrum reperies. Caput tre-  
 mulum, oculos caninos, os draconis, vultum furiae, ventrem ab-  
 domine distentum, manus ad rapinam incuruas, pedes intortos,  
 100 totam denique corporis figuram inspice: quid aliud quam mon-  
 strum p[re]se ferunt? Linguam et vocem illam beluinam obserua,  
 portentum dices. Ingenium excute, prodigium inuenies. Mores  
 expende, vitam scrutare, omnia monstrosa comperies. Et ne sin-  
 gula persequar, quantus quantus est, nihil nisi monstrum est’.  
 Hic si quis velit in singulis veluti depingendis immorari, satis ap-  
 105 pareat, quantum v[er]tatis sit accessurum orationi.  
 Item aliud exemplum ‘Totus commaduit’: ‘A summa capillo ad  
 imum vsque calcaneum pluia commaduit. Caput, humeri, pec-  
 tus, venter, tibiae, totum denique corpus pluia distillabat’. Mi-  
 nutius quidem illud, haud tamen indignum quod admoneatur ad  
 110 hanc formam referri posse, quoties de specie loquentes, genus a-  
 diungimus, id quod fere fit amplificandi gratia: ‘Quum omnis e-  
 ruditio plurimum adfert et ornamenti et adiumenti mortalibus,  
 tum praecipue philosophia’. Item: ‘Omni quidem aetati foeda est  
 libido, verum senectuti multo foedissima’. Item: ‘Cum omnibus  
 115 in rebus plurimum habet momenti prudentia, tum praecipue in  
 bellis’. (Simplex enim erat: ‘prudentiam in bellis plurimum ha-  
 btere momenti’.) Huius generis est illud Ciceronis in oratione pro  
 domo sua apud pontifices: *Cum multa diuinitus, pontifices, a*  
*maioribus nostris inuenta atque instituta sunt, tum nihil praeclara-*  
*rius quam quod vos eosdem et religionibus deorum immortalium*  
*et summae reipublicae praeesse voluerunt.*

mo in  
gualme

Sia  
nimo c  
rabbriv  
fio nel  
la figu  
va que  
Esamii  
stiga la  
goli as

Qui  
me pei  
al disc

Ugl  
pelli ir  
meri, i  
gia.

Più  
poiché  
do di s  
plifica  
menti  
te: a o  
sommo  
pruden  
guerre.  
moltiss

Di c  
la sua ]

Se n  
dai i  
voi g  
della

Quanquam quid attinebat vnum hoc referre, quum huius formae  
exempla nusquam non sint obvia? |

## LB 77 SECVNDA VARIANDI RATIO

Huic admodum affinis est secunda variandi ratio, quoties non  
125 contenti semel exitum rei proponere, ex quo reliqua quae praec-  
cesserunt per se queant intelligi, singulatim ea quoque com-  
memoramus per quae ad eum exitum peruentum est.  
Huius praeceptionis hoc erit exemplum: 'Cicero Catilinae cona-  
130 tus oppressit'. Id ita locupletabis: 'Catilinae nefarios conatus per-  
iuuenes perditissimos totius Romanae ciuitatis exitium atque in-  
ternacionem molientes, M. Tullius Cicero consul sua sagacitate  
135 statim odoratus est, singulari vigilantia peruestigauit, summa  
prudentia deprehendit, miro in rempublicam studio prodidit, in-  
credibili eloquentia conuicit, grauissima autoritate repressit, ar-  
mis extinxit, magna felicitate sustulit'. Item aliud: 'Ex ea virgine  
filium sustulit'. Hac ratione dilates licebit: 'Eam virginem, quod  
140 esset singulari forma, misere deperibat. Deinde amoris impa-  
tiens, simplicem puellae animum promissis solicitauit, muneri-  
bus corrupit, blanditiis deliniit, officiis in mutuum amorem pelle-  
xit, improbitate vicit, denique consuetudinem cum ea habuit ac  
deuirginauit. Aliquanto post tempore vterus virginis coepit tu-  
145 mescere, foetu videlicet concepto. Demum exactis nouem men-  
sibus parturiit ac puerum peperit'. Item aliud exemplum: 'Vrbem  
cepit'. Ita poterit ampliari: 'Principio feciales rem repetitum mis-  
si, qui pacis etiam conditiones offerrent. Quas cum oppidani non  
acciperent, copias vndique comparat, machinarum maximam  
150 vim comportat, admouet exercitum vna cum machinis ad vrbis  
moenia. Illi contra e muris acriter hostem repellunt. Tandem hic  
superior in congressu, consensis moenibus, vrbem inuadit ac re-  
rum potitur'.

Peraltro che co-  
pi di questa speci

... Del tutto affin-  
volte che non co-  
possano compre-  
larmente anche c-  
tale specie sarà q-  
lina. Così lo arric-  
la rovina e lo ster-  
molto depravati,  
bodorò, con stra-  
riconobbe, con d-  
incredibile eloqu-  
ricolo con le arm

Allo stesso mo-  
na. In questo mo-  
mente e appassio-  
ria bellezza. Qui  
sedurre il sempli-  
con lusinghe, inci-  
vinse con la ma-  
Dopo un po' di t-  
dentemente conc-  
rò un bambino.

Allo stesso mo-  
ampliato: all'iniz-  
scopo di offrire :  
le accettarono, d-  
quantità di mac-  
fortificazioni del-  
lentemente il ner-  
le mura invade la